



Dbl

U. q. 17, 13

8

PROGRAMMA  
DE  
**FAVORE TESTA-  
MENTORVM NON  
FAVORABILI,**  
AD DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
DE  
**TESTAMENTIS CONIV-  
GV M RECIPROCIS**

*Clarissimo Candidato*  
**CHRISTIANO FRID. IVNIO,**  
ONOLDO - FRANCO,  
habendam  
IVRISPRUDENTIÆ CVLTORES  
inuitat

**IO. SAM. STRYKIVS, D.**  
P. P. ORD. ET FACVLT. IVRID.  
h. t. DECANVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.



I. N. I.



Ix vllius rei in Iure nostro tantus fauor est, quam testamentorum, satis enim constabit omnibus, qui doctrinas iuris primis tantum labii degustarunt, quid non permittant leges pariter & Doctores fauore ultimarum voluntatum: pro quarum conferuatione etiam violentas haud raro admittunt interpretationes; quorsum, quae integris tractatibus scriperunt Cardinalis Mantica, Simon de Prætis, & Io. del Castillo, conferri possunt. Evidem non licet hic exerceperre omnes illos effectus singulares istius fauoris ex legibus Romanis; multo minus instituti ratio permittit ostendendi, quoisque interpres, etiam ultra rationem legum, hunc fauorem extendant: Sed ut tamen de hac re firmum capi iudicium possit, iuuabit in fundamentum illius fauoris paulo penitus inquirere. Respiciendo igitur ad originem testamentorum, a plerisque Dd. eadem vel ipsi iuri naturæ, vel tamen iuri gentium adscribitur, quod ultimum in ipsis legibus quoque assertum videmus, ad ius diuinum nemo est qui originem referat. Sed de iure naturæ iam plurimi dubitarunt, ex ratione non nullius momenti, quod dominis liberum quidem arbitrium sit disponendi de rebus suis, sed tantum quoque, dominis sunt, neminem enim plus iuris in alium transferre posse, quam ipse habet, validitatem ergo testamentorum, quam deum post mortem testatorum consequuntur, non posse ex iure dominii defendi quia

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-216611-p0004-7

quia dominium nostrum morte extinguitur. (a) Sane  
quicquid sit quod disputatur inter Doctores, etiam si conce-  
datur, testamenta ex rationibus naturalibus aliquo modo  
defendi posse, id tamen erit manifestum, originem eorum  
iuri naturae adscribi non debere. Communior sententia est,  
quod ex iure gentium descendant. Verum nec ista solidiori  
fundamento nititur: nec enim iuris gentium, si quod datur,  
alia sunt principia, quam iuris naturæ. Nam ius naturale  
diuersarum gentium dicitur ius gentium. (b) Sed et si vel  
maxime concesserim nonnullis doctoribus, ab exemplis  
gentium potissimum iudicandum esse ius gentium, quod  
tamen erroneum, & ab omni sana ratione alienum esse, sa-  
tis demonstrarunt prudentiores; (c) vix tamen est, ut vel  
ex hoc capite origo testamentorum demonstrari possit.  
Antiquissimis temporibus plerasque, si non omnes gentes,  
vsum testamentorum ignorasse, historiæ docent. Apud  
Hebræos vtut sint qui testamenta in vnu fuisse afferant, hoc  
tamen probari non potest. (d) Dum viuerent morti  
vicini, bona distribuebant. (e) Et de hoc modo accipien-  
dum est, quando Abraham seruum heredem relinquere  
constituerat. (f) Facillimum probatu est, vsum eorundem  
apud Romanos primum inualuisse; Quamuis enim Ro-  
mani videantur a Græcis accepisse vsum testamentorum,  
certum tamen, est ante Solonem testamenta apud Græcos  
non fuisse condita. (g) Sed & postea ipsa testamenta in vsum  
introducta, probari nequit: Verba illa LL. XII. Tabb. VTI  
QVISQUE PATERFAMILIAS REI SVÆ LEGASSIT  
ITA IVS ESTO, nihil aliud probant quam legata, apud

## A 2

Græ-

- (a) Pufend. *de I. N. & G. I. 4. c. 10. §. 4.* Ant. Faber *de Error.*  
*pragmat. Decad. 36. err. 2.* (b) Pufendorf. *de I. N. & G. I. 2. c. 3.*  
*§. 23.* (c) Pufend. *d. §. 23.* (d) Dn. Thomas. *Diss. de Captiva-.*  
*tior. Instit.* *§. 42.* (e) Gen. XXV, 5. 6. XLIX, 22. *Deuter. XXI, 16.*  
*XXXIII, 24.* (f) Gen. XVII, 3 (g) Plutarchus *in Solone c. 17.*



Græcos fuisse in usu, non testamenta. Imo etiam si concedatur apud Græcos & Romanos testamenta valuisse, exinde tamen non sequitur, orta esse ex iure gentium, hoc enim mores duarum gentium efficere non possunt. Certe solis Romanis deberi culturam testamentorum & propagationem constat, nam ab iis receperunt postea alii populi. Hinc si largiamur etiam omnes gentes Romanos hac in parte sequutas esse, non tamen potest exinde origo testamento-rum omnibus gentibus, sed tantum Romanis, adscribi. (i) Licet enim ipi etiam Icti Romani quandoque testamenta iuris gentium afferant, satis tamen in vulgus constat, quam impropriæ hanc vocem sumant, seducti etiā haud raro vnius vel alterius populi exemplis. Nec Apostolus id confirmat, (k) qui haud dubie ad mores Græcorum & Romanorum, apud quos degebat, respexit. Cum itaque ex solo iure Romano originem habeant testamenta, non maiorem fauorem merentur, quam reliqua eiusdem iuris sancta. Maxime in Germania: in qua olim nulla testamenta in usu fuisse ex historiariū monumentis constat. Inde Tacitus: (l) *Heredes successoresq. sui cuique liberi. & NVLLVM TESTAMENTVM. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patres, aunculi.* Aetibus inter viuos sibi prospiciebant & pacis, quorum autoritas, eodem Tacito teste, longe maxima erat. Usquedum Clerus & Episcopi Roma in Germaniam missi testamenta quoque introducerent, & tandem cum legibus Romanis tota illa materies inter Germanos etiam radices ageret. Et probabile est, Episcopos, a Pontifice Romano in omnia Europæ Regna missos, usum testatorum introduxisse. Rem enim accuratiū perpendenti facillimum congiurū erit, Clerum Romanum fauorem istum ultimaru

volum-

(h) Vid. Dn. Thomas, d. Diff. §. 42. (i) Ant. Faber in *Iurispr. Papin.* Tit. 2. pr. 4. illat. 1. (k) Gal. III. 5. (l) *de Moribus Germanor. cap. 20.*

voluntatum omnibus modis extendere annum fuisse, ut  
hac ratione opes morientium, sub spe certissima, promeran-  
di æternam salutem, admonitionibus suis & concussionibus,  
corraderent, tanquam sine quo fundamento dominatum  
suum stabilire non poterant. Fauentem statim experie-  
bantur Constantiū Imperatorem, sub cuius imperio iam  
tum cristas erigere incipiebat Anti-Christus. Nam in cleri  
fauorem promulgabatur constitutio (m) his verbis: *Habe-*  
*at unusquisque licentiam sanctissimo catholico venerabilique con-*  
*cilio decedens honorum, quod optauerit, relinquere: Et non sint*  
*cassa iudicia eius.* (Nunc sequitur fundatum illius fa-  
uoris) *Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur: quam*  
*ut suprema voluntatis (postquam iam aliud velle non possunt)*  
*liber sit stylus, Et licitum, quod iterum non reddit, arbitrium.* Ut  
alias constitutiones, quibus fauere clero incipiebant Impe-  
ratores, nunc prætermittam. Mox sequebantur Pontifi-  
cum constitutiones, quibus hæc utilissima materies eiusque  
fauor eo extendebatur usque, ut, si nulla alia testamenti ca-  
pita subsistere possent, sed omnia corruerent, tamen ad pias,  
ut vocabant, causas, hoc est ad sustentationem dominatus  
sui, clero, cœnobii aliisque istius farinæ relicta, conserua-  
rentur. Ad validitatem enim eorum quæ ad pias causas le-  
gata, nihil aliud iure canonico requirebatur quam ut per  
duos vel tres testes probari possit. (n) Sed nec ita fauorem  
testamentorum ampliasse sufficiebat, verum ulterius pro-  
grediendum erat, ne hic modus, inhiandi bonis miserorum  
laicorum, clero afferri posset. Inde enim, nisi me omnia  
fallunt, factum est, quod Imperatores statuerint, nemini li-  
cere debere facultatem testandi pactis & conuentionibus  
sibi adimere. (o) Quod facile unusquisque intelliget, omni  
fanæ rationi aduersum esse. Cur enim non liceat sibi fa-

A 3

cul-

(m) *L. Habeat, 1. C. de S. S. Eccles.* (n) *Cap. n. X. de Testam.* add.  
Tiraquell, de privileg. pie causa (o) *L. 15, C. de pact.*

cultatem testandi auferre? Annon licet se in adrogationem alteri dare? Sed hoc ipso admittitur facultas testandi: vt plura exempla non adducam ex quibus probari posset, secundum principia ipsius iuris Romani non absurdum esse, per indirectum sibi hanc facultatem adimere. Cur ergo non licet expresse, quod licet tacite? Scilicet ne Clero hic modus acquirendi auferatur. Iudicet nunc, qui a praeiudiciis liber est, an hoc dignum sit tanti fauoris fundamentum. Quod si consideremus insuper personas testantium, quo animo condant testamenta, eo magis patebit, nullam hic reperiri fauoris rationem solidam. Certe non abs re afferuit Bertrand Argentræus (p) *testamentum condere conscientia periculorum & iustitiae contrarium esse*; si ab eo quod communius fit, & a potiori, debet fieri denominatio. Plerique, non amore bene prospiciendi posteritat, sed *odio ducti erga illos, quibus ab intestato bona obuenirent, vindictæ causa testantur.* Imo & ea quæ piis causis relinquuntur, vt plurimum ex prauis affectibus procedunt. Sæpissime, quæ ministris ecclesiæ, templis, pauperibus legantur, non ex alia intentione proueniunt, quam ex studio, vt post mortem laudibus publice prædicetur testator, & hac ratione pallium queratur innumeris vitiis quibus alias scatuit, aliisq; offendiculo fuit defunctus: quod etiam peruersi sacerdotes non negligunt, & vitia licet enormia imbecillitati humanæ ascribentes, testatorem infinitis laudibus extollunt, eiusque exemplum cæteris commendant imitandum, quod vt fugiendum in medium producere deberent. Ita *fastus & superbia* impellit homines ad legata ad pias causas. Sed & *avaritia* haud paucos inducit, cum enim per omnem vitam tenacissimi fuerint, & proximo indigenti, non modo non decima, sed nec millesima parte bonorum suorum, succurrere voluerint, nunc, cum bona sua etiam inuiti dimittere

re

(p) In Comment. ad Consuet. Britann. ad Rubr. tit. 22.

re tenentur, incipiunt liberales esse, credentes, satisfieri posse suo officio, si in testamento pauperibus, quamvis parce satis, prospiciant. Deinde quot fiunt testamenta ut opes & potentia ac *splendor familiae* defuncti omnibus modis augatur? Vt & eam rationem, pessimam vtique, testamentis suis interdum inserere non erubescunt. Substitutiones & fideicommissa, maxime familiae, plerumque nil nisi *dissidentiam in Deum* pro fundamento habent, ita enim in omnem aeternitatem familie suae prospicere intendunt, ac si Deo omnem potestatem conseruandi homines, quibus vitam dedit, afferre vellent. Inde obseruarunt viri boni ex actis iudicialibus, ut plurimum haec fideicommissa lites lignere, imo eadem postea irritari, contra voluntatem testantium, singulari haud dubie prouidentia Dei ita dirigente, coram quo non est tantus fauor testamentorum, quam coram hominibus. Quid dicam de testamentis *moribundorum*? qui, cum de anima sua eiusque salute deberent esse serio solliciti, & omnem curam rerum humanarum abiicere, tempus interim tam pretiosum, & nunquam reparabile, his ineptis cogitationibus disponendi de rebus suis consumunt; quibus testantibus fauent Doctores, etiamsi perturbati cogitatione mortis, animi sint. (q) Egregium fauoris testandi fundamentum! Sed hoc quoque effecit ille fauor testamentorum, ut moribundus haud raro a Coniuge proximisque agnatis & domesticis, infinitis modis turbari & inquietari soleat, quo testamentum ab eo extorqueatur; quæ species *concussionis* non minima est. Imo si alicui otium & occasio fuerit percurrendi acta iudicialia & Archiuia, is facile deprehenderit testamenta nihil aliud esse quam seminaria litium, vix enim in lucem prodit testamentum, ex quo non processus nouus oriatur. Ignorabant olim Germani tota  
du-

(q) Carpzov. P. 3. Consil. 5. def. 1.

ductis omnia iudicia processibus, inter alias ex his quoque causis, referta sunt. Hic est fauor testamentorum, tanto pere commendatus a Doctoribus, ex his causis prouenit tam egregius effectus. Quid ergo? An semper odio dignum erit, si quis testari voluerit? Id vero non assero. Sæpe laudem meretur, qui de bonis bene prospicit posteritati, si videat heredes ab intestato non bene impensuros esse quod iis relinquitur, sed in fastu & voluptatibus consumutros, aut per avaritiam, quod egeno proximo debetur, dengaturos: Ut ita quedam testamenta fauore digna esse queant. Sed cum adeo inualuerit frequentia testamentorum, ut vix quisquam sine eo decedat, plerique etiam iniquum existimant non condere testamenta, plurima tamen ex prauis proueniant affectibus, litesque immortales gignant, non debebat tam generaliter fauor testamentorum commendiari, nec in explicandis ultimis voluntatibus, ad illum magis quam ad bonas regulas interpretationis respici. Ex illis ergo quæ dicta sunt elicio I. Fauorem testamentorum non esse iuris moralis vel naturalis vel diuini, sed humani positivi & speciatim Romani: II. Nullum esse fauorem testamentorum in Germania, saltem non maiorem quam ipsorum pactorum: III. Posito etiam in Germania ius Romanum in materia testamentaria esse receptum, tamen fauorem illum non extendendum, ultra ea, quæ in legibus singulariter expressa: Hinc testamenti inualidi, & secundum regulas juris non confecti, nullum esse fatuorem (r) V. Proinde in dubiis quæstionibus, an validum sit testamentum, an fecus, illud potius pro inualido habendum, nisi rationes prægnantes aliud suadeant; cum & in iure Romano magnus fauor sit heredium ab intestato, pro quibus in dubio pronunciandum, cum iis Lex ipsa deferat successionem: VI. Etiam si legitime confectum testamentum, obfauorem tamen

(r) Quod fatetur Carpzov. P. 3. C. 3. d. 26. n. 14.

men non recedendum a regulis bona interpretationis: VII.  
Fundamentum interpretationis ultimarum voluntatum non  
debere esse istum præterisum fauorem, sed voluntatem defun-  
cti, a quo ob fauorem nunquam deflectendum : IIX. Nec  
propter præsumtam voluntatem testatoris, aliud quid, ob fa-  
uorem istum, statuendum esse, quam ob præsumtam volun-  
tatem contrahentium statueretur.

Hæc vero nunc sufficient, cum pluribus eadem prosequi  
in præfenti non liceat. Occasionem vero hæc differendi nobis  
suppeditauit Clarissimus doctissimusque Candidatus noster  
**CHRISTIANVS ERIDERICVS IVNIVS** Onoldo - Francus,  
dum Dissertationem suam inauguralem de Testamento Coniu-  
gum reciprocis esse voluit: ibique non pauca, ad hanc rem per-  
tinentia, tetigit. De cuius vita & moribus quedam hic adii-  
cienda sunt. Natus is est Solenhoefi in Marchionatu Bran-  
denburgico Onolspacensi, Anno post natum Christum  
M DC LXXIX.d. II. Martii, ex Parentibus optimis, Patre Ma-  
thæo Iunio, nunc Dynastiæ Sulzenensis Præfecto meritissimo, &  
Matre honestissima Maria Barbara, nata Strasheimeria. Hi  
cum statim in prima iuuentute cognoscerent excitato inge-  
nio præditum esse a Deo, Patre cœlesti, hunc filium, bonis lit-  
teris eum destinarunt, vt eo magis seruire Deo & proximo ali-  
quando possit. Traditus itaque est plurimum reuerendo  
**IO. CONRADO KERNIO**, Pastori tum temporis Sulcensi  
fidelissimo, vt ab eo in primis rudimentis latinæ & græcæ lin-  
guæ institueretur. Quibus feliciter positis A.o. M DC XXCIX.  
Bopfingam delatus est, ybi per quadriennium usus priuatissima  
& fidissima informatione Viri integerrimi, **DANIELIS SCHMIDII**, Scholæ Bopfing. Rectoris meritissimi. Inde  
Heilsbronnam Anno M DC XCIII. peruenit, ibidemque in il-  
lustri Gymnasio per triennium studiis humanioribus sedulo  
incubuit, totumque Philosophiae cursum, vt aiunt, absoluit,  
ductoribus eruditissimis viris, inter quos præcipue adhuc lau-  
dat Candidatus noster operam & dexteritatem Viri admodum

Reuendi IO. FRIDERICI KREBSII S. S. Theologiae & linguae  
sacræ ibidem Professoris celeberrimi. Cuius fide & ductu  
moralibus præcipue studiis & Iuri Naturæ vtilissimam naua-  
uit operam, & sub eius quoque præsidio disputationem folen-  
nem, de *Prudentia Christianorum in euitandis & diudicandis*  
*controversiis circa res buiis seculi*, cum applausu omnium ha-  
bituit. Ita ergo ad altiora studia optime præparatus, Anno  
M DC XCVI. in Academias se contulit, & primo quidem Alt-  
dorfinam petiit, fama & celebritate Excellentissimorum Pro-  
fessorum eius Academiam permotus. Potissimum vero studiis  
Philosophicis se dedit, duotoribus præ ceteris Amplissimis Ce-  
leberrimisque viris CHRISTOPHORO STVRMIO Phys.  
& Mathem P. P. & G. P. ROETENBECCIO, Log. & Politic.  
P. P. Apud illum audituit Collegium *Physicum*, integrumque  
*cursum Mathematicum priuatim*, priuatissime vero collegium  
*experimentalē*, quod curiosum vocare solent, item *Gnomonicum*  
& alia; Huius opera vsus est in *moralibus & politicis*, eiusque le-  
ctionibus ad Celeberrimi Thomasi nostri *Institutiones Iuris-  
prudentie diuine* sedulo interfuit. Tandem ipsum quoque Iu-  
risprudentiae oceanum ingressus, Duce Consultissimo DO-  
NAVERO, iam Consiliario Reip. Nœrdling. meritissimo, *In-  
stitutiones iustinianas & Compendium Digestorum* Lauterba-  
chii audituit: Publicis quoque lectionibus & Magnifici SPI-  
TZI ICTi Excellentissimi, & illustris collegii iuridici Senioris,  
vt & celeberrimi WAGENSEILLI, vsus. Quibus & *Theolo-  
gica, Historica, Genealogica, Heraldica*, & alia studia iunxit. Ad-  
dens etiam *Anatomico Practicum*, interprete Viro Excellentissi-  
mo IO. MAVRITIO HOFFMANNO Archiatro & Con-  
siliario Serenissimi Marchionis Onolspacensis experientissi-  
mo. Quibus fundamentis solidioris doctrinæ iactis, tandem  
hanc quoque nouam Academiam salutare non inutile iu-  
dicabat nosfer, inde cum consensu parentum suorum,  
honoratisimorum Anno M DC XCIX. ad nos delatus,  
studiis iuridicis se totum tradens, omnes iuris partes per-  
cur-

percurrit, ductu in primis & auspiciis verierandi Pareitis mei,  
cuius lectionibus, tam publicis, quam priuatis, constanter inter-  
fuit, audiuitque ipsum ad *Institutiones* & *Lauterbachii compen-*  
*dium binis vicibus, itemque collegiis de Differentiis Iur. Ciu.* &  
*Canon. Casuali, & Practico* interfuit. Iuris publici quoque studia  
non negligens, hinc & Myleri tractatum *de Statibus & Principi-*  
*bis Imperii & Per illustris Rhetii Institutiones Iuris Publici & Ca-*  
*pitulationem Iosephi* in collegiis, eodem interprete, pertracta-  
uit; addens, vt nihil desit, *Ius Ecclesiasticum* B. Brunnemann  
& *Ius Feudale*. Sed & meis aliorumque collegiis interfuit in-  
deque pretiosissimum Thesaurum magna industria sibi colle-  
git. Quae omnia vtut talia sint vt laudem non exiguum me-  
reantur, cum singularem in Candidato nostro favorem, ac im-  
petum quasi in bonas literas & studia solidiora innuant; hoc  
tamen ista multis modis superat, quod non intellectum modo  
sed & voluntatem suam emendare non minus fuerit sollicitus.  
Hinc Theologiam, maxime practicam, iuris prudentiae iunxit,  
& cognitis veris & solidis Christianae doctrinæ principiis, tanto  
ardore pietati veræ, non simulatae aut hypocriticæ, operam na-  
uuauit, vt eius exemplum reliquis studiosis iuris, hæc commu-  
niter nimium quantum negligentibus, vt imitandum propo-  
nere non dubitemus. Qua in parte usus est domesticis doctrinis  
solidissimis, optimoq; exemplo, Theologi Integerrimi, PAU-  
LI ANTONII, S.S. Theol. Doctoris & Professoris in hac A-  
cademia & Consiliarii Ecclesiastici meritissimi, quem hospitem  
se factum esse, gaudet insigniter, eiusque singularem favorem  
sibi exhibitum multis modis prædicat, Candidatus noster. Est  
sane iurisprudentiae studium magis nociuum Reip. quam pro-  
ficuum, si non scientiæ iungatur pietas. Inde enim tot mala in  
Remp. æque ac Ecclesiam redundant, quod eruditiois tan-  
tum, non pietatis, habeatur ratio in iis, qui officiis publicis ad-  
mouentur. Illi itaque demum feliciter tempus in Academiis  
peragunt, qui, vt noster, cum studio iurisprudentiae humanæ  
di-

diuinæ iurisprudentiæ, hoc est, sacrarum litterarum studium coniungunt, vt re vera vtilem aliquando operam Reip. pariter & Ecclesiæ præstare possint. Ita ergo præparatus noster iussu eorum, quibus obsequi officium est, ad Collegium nostrum decenter accesit, peritque, vt ad examina, Candidatis subeunda, admitteretur, quo testimonio hoc publico fidem facere optimis suis parentibus patriæque posit, tempus haec tenus transactum non male impensum esse. Nos ergo cum non habemus, cur honesto ipsius desiderio non assurgemus, admisus est ad examina, ybi in vtroque, tam tentamine, quam rigoroso, vt vocari solet, talem se præstitit, vt expectationi nostræ satisfererit omnino. Via hinc ipsi aperta est ad Dissertationem inauguralem, more solito habendam. Cuius gratia proposuit thema DE TESTAMENTIS CONIVGVM RECIPROCIS, non nouum aliquod, sed a Doctoribus satis calcatum. Quod tamen non vulgari modo tractauit, vt communiter fieri solet, nec vestigia doctorum cœco impetu presit, sed sobrie sententiam suam & solide exposuit, non sibi religioni ducens a communi Doctorum sententia recedendi, veritati magis quam authoritatibus intentus, ita tamen, vt modestiae limites nullo modo transgrederetur. Nec etiam necessum est, vt noua semper proponatur materia. Plus artis est illa, quæ per errorem haec tenus irrepseré, aggredi, verumque a falso separare, nec vel in hanc vel in illam partem a iustitia regulis deflectere.

Cum itaque ista laudatissimi Candidati nostri Dissertatio inauguralis nunc publice prodeat, vt eandem benevolè amplectantur omnes, & conatibus Clarissimi Candidati porro faucent, maxime qui iurisprudentiam colunt, est quod enixe rogamus. P. P. in Acad. Regia Fridericiana M.  
Aprilii M DCCII.


¶ (o) ¶

94 A 7358



TA-DOL  
nur 3. Stein verfügb.

V3 17





PROGRAMMA  
DE  
**FAVORE TESTA-  
MENTORVM NON  
FAVORABILI,**  
AD DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM  
DE  
**TESTAMENTIS CONIV-  
GVM RECIPROCIS**  
*Clarissimo Candidato*  
**CHRISTIANO FRID. IVNIO,**  
ONOLDO - FRANCO,  
habendam  
IVRISPRUDENTIAE CVLTORES  
imicitat  
**IO. SAM. STRYKIVS, D.**  
P. P. ORD. ET FACVLT. IVRID.  
h. t. DECANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

